



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

77. Rvffina cum filia & ancilla laborat die festo otij vitandi gratiâ, ideóque sine peccato mortali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

non sufficit, Iudicem iustè, seruatò juris ordi-
nè, procedere, sed insuper necesse est, vt re-
ipsâ iustum decernat & præcipiat Aliud in-
fra dicemus in causis merè sæcularibus.

LXXVII. *Ruffina relicta opificis vidua cum
filiâ & ancillâ suâ frequenter ac diu laborat diebus
festis, præcisè vitandi otij causâ. Queritur. An
peccet mortaliter?*

Videtur sic peccare. Ita Suarez de religione.
Tom. I. L. I. cap. 26. n. 1. Comitulus in resp. L.
14. q. 37. & alij. Quia violatur præceptum
Ecclesiæ in re graui.

Resp. Ruffinam non peccare mortaliter.
Ita Sa, V. Festum n. 6. Sylvest. V. Dominica q. 5.
dicto 3. Homobonus. vol. 1. p. 2. Resp. 35. &
alij. Ratio est, quia, vt evitetur damnum tem-
porale, licitè diebus festis laborant opifices:
Item vxores, filij familias, & famuli à marito,
patre, & hero iussi, vt ex communi docet Bo-
nac. in 3. præcept. Decal. D. 5. q. vnic. p. 3. n. 15.
& 16. cur ergò non multò magis licitè labo-
rent Ruffina, & huius filia ac famula, vt evi-
tent damnum spirituale, quod ab otio & cu-
rioso per fenestram prospectu meritò sibi ti-
mere possunt? Quod si per duas solùm tresve
horas laborent, ex parvitate materiæ illas ex-
cusat Marchantius Q. pastor. c. 3. q. 2. modò
scandalū, omissionem Sacri, & similia cave-
ant.

Ad rationem in oppositum negamus, vio-
lari

lari præceptum Ecclesiæ, cùm in periculo talis damni non obliget.

LXXVIII. *Rupertus Episcopus, ut frequentè superstitionum malo medeatur, sub excommunicatione eam prohibet. Melchior ex diœcesi Rupertì ignarus rei adhuc illam committit. Quæritur. Vtrum excommunicationem incurrerit?*

Videtur Melchior excommunicationem incurrisse, quia statutum promulgatione factum est publicum, quæ autem publica sunt, omnes scire censentur, & jure præsumuntur.

Resp. I. Si Melchior tam prohibitionem superstitionis, quàm ipsam pœnam latam inuincibiliter ignorauerit, ab utrâque eum excusari, ut habet communis *ex c. ut animarum de constit. in 6.* Vbi Pontifex non vult vllis statutis ligari ignorantes, & meritò, quia is, qui ignorat legem, non delinquit contra legem, ergo non est transgressor legis.

Resp. II. Si Melchior solam pœnam inuincibiliter ignorauerit, sciens aliàs superstitionem esse prohibitam ab Episcopo, excusari eum quoque à pœnâ, ut ex communi ferè tradit *Dian. P. 4. Tr. 4. Resol. 187.* Nam censura est in contumaces: eadem est medicinalis, quæ requirunt cognitionem. Resp. III. Si Melchior eandem pœnam ignorauerit ignorantiam mortaliter culpabili, non tamen crassâ, eum itidem excusari à pœnâ. Dari talem ignorantiam docent *Baldell, L. I. de act. hum.*